



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 6. iuxta S. Chrysosthomum, Paenitentia à Deo Precibus est impetranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

PECCATORIS. III

Chrysoſthomus : Si videris olim ebrium , *Ibid.*
 nunc jejunare ; ſi olim blaſphemum , nunc Theo-
 logum : ſi eum qui quandoque turpibus cantilenis
 os inquinaverit , divinis nunc Hymnis animam
 purgare ; mirare Dei longanimitatem , pœniten-
 tiamquè collauda , ac demutationem & conver-
 ſionem illius ſuſpiciens dic : HÆC MUTATIO
 DEXTERÆ EXCELSI.

§. VI.

*Iuxta S. Chryſoſthomum , Pœnitentia à Deo
 precibus eſt impetranda.*

Dixi ex Auguſtino & Gregorio pœ-
 nitentiæ & converſionis donum
 precibus à Deo impetrandum ; dicit &
 Chryſoſthomus : *Quemadmodum enim* *In Pſal.*
pluvia duram terram in quam decidit , vel ignis *129.*
ferrum mollit & humectat : ita vitiis induratum
animum talis oratio , & igne vehementius , &
plus quam pluvia mollit & humectat : eſt enim
anima tenera , & ad fugiendum facilis , ſed quod
iſti aqua ſepè uſuvenit , ut glacie concreſcat ;
ita etiam noſtra accidit anima , ut à peccato &
ſocordiâ indurat & lapideſcat. Magno ergo nobis
calore opus eſt , ut quod durum eſt , emolliat :
Hoc autem maximè efficit oratio. Dixi ex In-
nocentio magnis precibus Dei gratiam *Hom. 24.*
eſſe petendam : dicit & Chryſoſthomus : *in Matth.*

Att-

Auxilium Dei orationum perseverantiâ promeretur; propterea & petere præcepit, eisquè sedaturum spondit, nec tamen obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa & magna intentione.

Dixi ex Gregorio hâc sedulitate opus esse peccatori à peccato surgere volenti; In Ps. 129. dicit & Chrysothomus: Vidi sæpè mulieres propter virum peregrinantem & infantem egrotantem ita de profundis orantes, & tantos fontes lachrymarum emittentes, ut tandem voti sui essent compotes: si autem mulieres ita inflammantur in orationibus pro viro & infante: quænam verò venia dabitur, qui pro anima morte affecta mollis est & languidus?

§. VII.

Iuxta S. Chrysothomum non omnis qui peccatum suum agnoscit & confitetur, est conversus.

*D*ixi ex Gregorio non omnem qui peccatum suum agnoscit & confitetur debite esse conversum, dicit & *Epist. 5. Chrysothomus Theodoro lapsò: Ceterum tu confiteris peccata, teque tui miseret supra modum: scio equidem satis: verum id non requiro solum, cupio autem ut te res aliqua iustificet, ut primum te obsequentem præbueris: Et postea; vehementer se damnare profiterique*
pes-